



IN EODEM FESTO
OMNIUM SANCTORUM
CONCIO SECUNDA,
IN QUA LECTIO EVANGELICA
explanatur.

*THE. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cæ-
lorum. Matth. V. 3.*

*** Uod medici facere
*** **Q** solent, quum æger
*** magno ciborum fa-
*** stidio laborat; hoc
ecclesia in hac sacratissima
sanctorum omnium sollempni-
tate agere videtur. Illi namque
varia ciborum genera offerri
languenti præcipiunt, fore vi-
delicet sperantes, ut in tanta
ciborum varietate aliquid tan-
dem inueniat, quod jacentem
atque prostratum edendi appe-
titum excitare valeat. Ad hunc
ergo modum ecclesia ægris
multorum mentibus, & spiri-
tualium rerum fastidio labo-
rantibus, splendidissimum ho-
die convivium instruit, omni-
gena dapium cælestium varie-
tate apparatus; ut inter tam
multa divini spiritus fercula
aliquid tandem inveniri queat,
cujus aviditate & desiderio
mens nostra capiatur. Propo-
nuntur enim nobis hodie san-
ctorum patriarcharum, prophe-
tarum, apostolorum, marty-
rum, confessorum & virgi-
num exempla, qui variis vir-
tutum generibus ornati, ad
eundem sempiternæ felicitatis
portum pervenerunt. Si igitur
tota nobis hodie ante oculos
cælestis curia ponitur, ecquis
nostrum tanto divinarum re-
rum fastidio laborabit, ut non
in hoc sollempni epulo aliquid
inveniat, cujus adpectu dele-
ctetur? cujus pulchritudine ca-
piatur? cujus gustu & suavita-
te pascatur? Neque vero a præ-
senti sollempnitate evangelica
lectio dissentit; quæ tam variis
virtutum præceptis referta est,
ut vix alia in tota evangelicæ
do-

doctrinæ serie inveniatur, quæ
tam brevi verborum compen-
dio tam multa ac varia chri-
stianæ vitæ documenta conti-
neat. Ea vero est exordium ser-
monis ejus, quem Salvator no-
ster, quum primum cælestem
doctrinam in mundo dissemi-
nare cœpisset, ad discipulos ha-
buit. Cujus doctrinæ dignita-
tem sanctus evangelista initio
statim sacræ hujus lectionis
non obscuris indicis designa-
vit. Ait enim primo, Dominum,
turbis, quæ illum sequebantur,
in valle relictis, cum discipu-
lis in montem ascendisse. Quo
argumento facile ostendit, se
nihil in præsentis sermone po-
pulare, nihil humile, & rudis
vulgi auribus accommodatum,
vel Pharisæorum & Scribarum
doctrinæ simile, voluisse doce-
re. Locus enim editus, mons a
terra elevatus, & celo pro-
pior, declarat, non terrena &
humilia, sed cælestia dogmata
esse, quæ in eo loco tradenda
erant. Jam vero quod sermo-
nem nunc ad solos discipulos,
quos in salem & lucem mundi
elegerat, habuerit, ejus digni-
tatem, & doctrinæ altitudinem
facile demonstrat.

Quid vero illud, quod san-
ctus evangelista subdit: & ape-

riens os suum docebat eos dicens
beati pauperes, &c. Quorsum
ait: *aperiens os suum?* An quis-
quam nisi aperto ore loquitur?
An vero divinæ historiæ scri-
ptor verbis non necessariis lu-
xuriari voluit? Nullo modo.
Sed his tamen verbis docuit,
alium esse qui videbatur, a-
lium qui loquebatur: videba-
tur quidem homo, loquebatur
latens in humanitate Deus. Ho-
mo quidem aperiebat os; sed
illud tamen implebat Deus:
homo linguam in verba forma-
bat; sed plenitudo divinitatis,
& increata sapientia Patris, ar-
cana cælestia humanis auribus
inspirabat. Hoc est autem, quod
Apostolus initio statim ejus epi-
stolæ, quam ad Hebræos scri-
psit, magnificis verbis ampli-
ficat, quum ait: (a) *multifarie
multisque modis olim Deus lo-
quens patribus in prophetis, no-
vissime diebus istis loquutus est
nobis in Filio, quem constituit
heredem universorum, per quem
fecit & sacula.* Opportune au-
tem hæc sacra lectio nobis ho-
die ab ecclesia proponitur, ut
varias virtutum formas, varia-
que in cælum eundi vias, qui-
bus sancti omnes, quorum ho-
die memoriam colimus, in-
gressi sunt, agnosceremus: quo
per

(a) *Hebræor. I. 1. 2.*

per eas nobis aditum in cælum pararemus. Alioqui vehementer absurdum esset, eos nos nolle sequi, quorum gloriam & felicitatem consequi desideramus. Ut igitur hanc sacram lectionem pio studio interpretari & audire valeamus, cælestem opem, beatissimæ Virginis interventu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Quia non sufficit unī concioni destinatum tempus, ut has omnes beatitudines longa oratione explanare possimus; ideo breviter, pro ratione temporis, earum vim & naturam explicare curabimus. Ad hoc tamen illud primo loco observandum est, omnes has beatitudines, atque adeo omnes divinas leges, huc præcipue tendere, huc spectare, ut non modo externa virtutum opera, sed multo magis internam animi puritatem & caritatem constituent; quod in ea præcipue omnis mentis nostræ ornatus positus sit: quemadmodum regius Propheta de ecclesia sub filiæ regis nomine testatur, quum ait: (a) *omnis gloria ejus filia regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus*: hoc est, omnis hæc filiæ

cælestis regis gloria & ornatus, quem prædicamus, non in bonis externis, quæ carnis oculos oblectant, sed intus in animo, qui divinis oculis conspicuus est, consistit; in quo pii hominis mens splendenti caritatis auro, variisque virtutum gemmis, atque divinis opibus mirifice fulget.

Hanc autem internam animæ pulchritudinem magno affectu Apostolus ad Ephesios scribens postulabat, quum diceret: (b) *flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, a quo omnis paternitas in celo & in terra nominatur*, hoc est, ex quo & beatæ mentes quæ in celo sunt, & homines qui in terra degunt, originem trahunt, *ut det vobis secundam divitias gloriae suæ*, id est, gratiæ suæ, quæ ejus maxime gloriam declarat, *virtutem corroborari per spiritum ejus in interiori homine, Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in caritate radicati & fundati*. Videtis hic omnia Paulli verba ad interni hominis puritatem & caritatem potissimum dirigi. Quo fit, ut omnes sacræ carimonæ, ceteraque externa virtutum opera, quæ non minima pars christianæ perfectionis

(a) *Psalm. 44. 14.* (b) *Ephes. 3. 14. 15.*

nis sunt, hoc præcipue nomine commendentur, quod nos ad hunc internum animæ decorem & elegantiam, hoc est, ad pleniorum divinitatis cognitionem, ad spem, ad amorem, ad timorem & venerationem divinæ majestatis plurimum adjuvent. Sic olim Dominus, (a) quum paschalis agni sacrificium instituit, non hoc ea mente fecit, quod animalium cruore delectaretur; sed ut eo sacrificii genere populum suum ad veterum beneficiorum memoriam excitaret, quæ in eorum mentibus & divinæ legis studium, & divini amoris ignem accenderet. Quod aperte idem Dominus significavit, quum post hujus sacrificii institutionem subdit: (b) *& erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos, ut lex Domini sit semper in ore tuo. In manu enim forti eduxit te Dominus ab Agypto.*

Jam vero quid sibi vult, quod tanta cura cavet, ne altare sibi ex lapidibus perpolitum atque dolatum, sed vel ex terra, vel rudibus lapidibus ædificaretur? (c) *Si enim, inquit, levaveris cultrum super eo, polluetur.* Quid hoc ad cultum Dei, & religionis sancti-

tatem? Quid enim pollutionis aut indignitatis in lapidibus quadratis & perpolitis est? Sæpe, fateor, hanc Domini legem demiratus sum: quum ea vero nequaquam temere lata sit, quid aliud in ea philosophari possumus, nisi quod hac ratione Dominus animi simplicitatem, ab omni calliditate & artificio alienam, & internum animi cultum voluerit commendare? Perinde enim est, ac si diceret: nollem, vos, qui rudi & hebeti ingenio estis, existimare, me solo externarum rerum cultu & nitore oblectari; ideoque nullum a vobis apparatus & splendorem in altari meo requiro: non quod templi mei ornatum non probem, sed quo facilius intelligatis, vestræ mentis puritatem, pietatem, nitorem, simplicitatem, & cultum, me a vobis potissimum exigere: ut quum nihil in altari meo magnificum, & majestate mea dignum perspiciatis, interiori cultu & religione suppleatis, quod minus foris splendet ac fulget.

Liquet igitur ex his, præcipuum christiani hominis studium in hoc interioris hominis cultu ponendum esse. Unde consequens est, ut omnes cu-

ras

(a) *Exod. 12. 3. seqq.* (b) *Exod. 13. 16.* (c) *Exod. 20. 25.*

ras & cogitationes nostras huc præcipue dirigere debeamus, ut omnes noxios animæ affectus & cupiditates ab anima nostra evellamus, quæ nos ad terrena deprimunt, quæ intellectus aciem ad cælestia conuertenda obtundunt, quæ tanto nos magis a divino amore avocant, quanto terrenorum bonorum amore incendunt. His enim, quantum fieri poterit, velut sentibus & tribulis a terra cordis nostri repurgatis, protinus vera caritas, humilitas, timor Domini, ceteraque virtutum semina, in quibus vera animæ puritas & sanctitas constituta est, germinabunt. Hic igitur christianæ vitæ scopus est, hoc illa præcipue intuetur, hoc omnes scripturarum paginæ semper inculcant, huc denique ipsa Domini lex tendit, quæ unico dilectionis præcepto continetur. Ex hoc autem fonte externa opera nostra manare debent: quæ tanto erunt divinæ menti gratiora, quanto magis & ad hunc caritatis finem tendunt, & ab eodem proficiunt; ut idem videlicet earum & finis & initium sit. Hoc ipsum autem hodierna sancti evangelii lectio maxime confirmat, cujus omnis fere doctrina ad hunc internum a-

nimi cultum & ornatum præcipue refertur.

Habet autem & aliam non vulgarem commoditatem hæc sacra lectio, quod metum ac trepidationem illis adimit, qui virtutis viam, ut asperam atque difficilem, ingredi detrectant. Hanc enim trepidationem, propositum unicuique virtuti præmium, suæque beatitudo, magna ex parte adimit. Hac enim ratione fit, ut quod est difficultatis ac laboris in virtute propositum, adjuncti præmii solatio leniatur. Divina enim sapientia, quæ quibusdam voluptatis illecebris animantia cuncta, ad ea, quæ naturæ suæ conveniunt, trahit & invitat, suas quoque virtutibus cunctis delicias & jucunditates apposuit, ut earum dulcedine homines inescati, ad earundem amorem accendantur. Hoc autem facile erit in præsentis lectione perspicere, si harum beatitudinum naturam, & adjuncta singulis præmia excutiamus. Tunc enim intelligemus, nequaquam illas temere beatitudines esse appellatas; sed præter perfectam & plenissimam illam beatitudinem, quæ illis in futura vita constituta est, aliam quoque, licet imperfectam & inchoatam, in hac

hac esse propositam: quod jam nunc explicare incipiemus.

§. I.

Earum igitur prima est, paupertas spiritus, hoc est, voluntaria terrenarum rerum contemptio, quæ in summa etiam rerum copia esse potest; ut in Abraham, Davide, & beato Gregorio pontifice, qui in maxima terrenarum opum abundantia constitutus, minus eas diligebat, quam sanctus quidam eremita catellam, quam apud se nutrierat. Quod si roges, quanam sit hujus paupertatis beatitudo? Primum illa est, quod ab immoderato divitiarum amore & cupiditate liberat. Ab hac autem cupiditate liberari, id vero est omnium fere peccatorum, quæ ab ea derivantur, radicem abscindere, Apostolo testante, qui ait: (a) *radix omnium malorum cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Hinc Ecclesiasticus: (b) *nihil est, inquit, iniquius, quam amare pecuniam: idemque alibi: (c) avaro nihil est scelestius.* An parva igitur vobis hæc beatitudo esse videtur, uno icu peccatorum omnium radicem,

in quibus vera animæ miseria est, amputasse?

Sed non modo peccatorum, sed curarum etiam innumerabilem & molestiarum radicem abscindit, quum immodicum divitiarum amorem ab anima pellit. Ubi enim vehemens alicujus rei amor est, ibi & amittendi metus, & partuendi cura, & plus habendi sitis, & ira atque tristitia; quum id, quod ita diligimus, vel ab aliis impetitur, vel e manibus extorquetur, vel casu aliquo intercedit & periclitatur. Sed ut nihil horum esset, omnis immoderata cujusque rei cupiditas tantum in se peccatorum & cruciatuum habet, ut multi, quod ea consequi non potuerint, quæ ardentissime desiderabant, sibi ipsis necem intulerint. Hoc autem quotidianis ferme exemplis animadvertimus. Pontanus (d) adolescentem quemdam memorat, quod speciosa quadam virgine, quam perditæ amabat, potiri desperasset, in fenestra, quæ contra virginis domum posita erat, laqueo sibi vitam eripuisse. Idemque refert, adolescentulam quamdam se in puteum conjecisse, quod ab

(a) 1. Timoth. 6. 10. (b) Eccles. 10. 10. (c) Ibid. 7. 9. (d) Joan. Jov. Pontanus lib. de Fortitud.

adolescente, cujus ambiebat conjugium, despecta fuisset. Quæ ideo retuli, ut his exemplis intelligatis, quantus sit eorum hominum cruciatus, qui multa sitienter appetunt, quibus potiri nequeunt.

Quo etiam argumento intelligere licebit, eam esse felicitatem illius, qui sua sorte contentus nihil extra se quærit, ut Seneca dicere non dubitaverit: (a) *qui desiderium clausit, cum ipso Jove de felicitate contendat.* Itaque hujus tanti philosophi judicio ille felix habendus est, qui nihil cupit; hoc est, qui sua sorte contentus nihil aliud desiderat, quam quod habet. Quum enim vir sapiens intelligeret, beatitudinem esse desiderii quietem; nihil mirum, si eum felicem appellaverit, qui eo pervenit, ut desiderii suis finem imposuerit. Hinc idem argutissime veras divitias desideriorum paupertatem esse definivit: illumque vere divitem & beatum pronuntiavit, non qui plurimum haberet, sed qui minimum cuperet. Quod hoc argumento perspicere facile potest. Si quis æger inexplibili fame laboraret, & multis dapibus absumptis, eadem ad-

(a) Seneca, in Epist.

huc fame urgeretur; alius vero, qui sano esset corpore, uno tantum ferculo contentus famem sedasset: an non hic meliori conditione esset, minimo cibo contentus, quam ille, qui tot absumptis ferculis eadem fame cruciatur? Non ergo ingens opum multitudo, sed cupiditatis abdicatio quietem animis affert. Unde idem philosophus sapienter & eleganter ait, *nihil interesse, an habeas, an non concupiscas.* Quum enim, ut ante diximus, beatitudo sit quietis desiderii; multo sane felicitior est, qui, quum nihil habeat, nihil cupit, quam qui, quum plura habeat, plurima cupiat. Merito ergo inter has beatitudines paupertas voluntaria numeratur, quæ nos a tot corporis & animæ malis eripit, & in felicissimæ quietis & tranquillitatis portu constituit. Hoc autem mihi Dominus innuisse videtur, quum primæ hujus beatitudinis præmium præsentis temporis verbo significavit; quum in ceteris, postrema tantum excepta, futuri temporis verba subjiciat: quod videlicet in hac vita incipiat esse beatus, qui ad hunc terrenarum rerum contemptum potuit pervenire. Ver-

re enim felicitatis æternæ, cælestisque status velut prælibatio quædam est, hæc mentis tranquillitas, & desideriorum quies.

Ad hanc autem beatitudinem vos ego hodie invito, fratres, immo regius propheta invitavit, quum ait: (a) *divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Non putavit, se facile a nobis impetrare posse, ut cum divitiarum cupiditate divitias simul abjiceremus: ideoque, quod facilius infirmis esse videbatur, suadet, ne divitiis amore immodico jungeremur: hac enim ratione fieri posse, ut hanc spiritus paupertatem consequi possemus, quæ non rerum abdicatione, sed cupiditatis amputatione constat. Hoc autem, quod ego a vobis, fratres, christianus a christianis exigo, gentilis Seneca se præstitisse fatetur, qui, ad Lucilium scribens, Romanorum alacritatem commemorat, qua ad naves ab Alexandria venientes properabant, quo rerum suarum statum & rationem agnoscerent. In qua tanta omnium festinatione de negligentia sua sibi Seneca gratulatur, quamvis ad ipsum quoque ea res plurimum pertine-

ret; quoniam, perinde atque propheta nostri vocem audivisset, in magna divitiarum affluentia cor ipse divitiis non admovebat. Itaque ait, magnam se ex hac negligentia sua lætitiâ percepisse; quod ea res animum suum a divitiarum servitute & cupiditate liberum esse declarabat. Quod ergo gentili homini ratio & philosophia præstitit, cur nobis evangelium, fides, & futurorum bonorum expectatio, & Servatoris nostri imitatio, doctrina, & promissa non præstabant?

Secunda vero beatitudo, mansuetudinis est; de qua Dominus: *beati, inquit, mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Sicut autem paupertas spiritus nos primum ab ingenti cupiditatis tyranno eripit; ita lenitas & mansuetudo ab alio quoque truculentiori, nempe, furore & iracundia, liberat. Quæ enim inter omnes animi perturbationes efferacior, truculentior & immanior, quam iracundia est, quæ tot in mundo contentiones, tot rixas, tot dissidia, tot homicidia, tot sanguinolenta bella, tot denique strages passim edit? Quæ perturbatio vehementius ex-

(a) Psalm. 61. 11.